

cipienda essent, quod nimis difficile, instabant
 apud me, ut typis exscribi curarem, Paratior
 reliquis erat Bibliotheca Iuris, quare eam
 præmisi. Instituti ratio hæc est, ut non
 solum generalem doceam Dispositionem, prout
 Bibliotheca est vel Iuris Ciuilis, Criminalis,
 Feudalis, Canonici & Publici, sed etiam in
 quauis classe generali certas feci sectiones,
 prout ordo rei litterariæ postulat: ita, ut pri-
 mo semper exhibeam fontes cum commenta-
 riis, historiam, compendia, systemata, consi-
 lia & alia prout se inuicem sequuntur, uti or-
 dinem dispositionis singulari indice expressimus.
 Non autem propositum nobis fuit libros singu-
 los exponere, quorum ingens est numerus, sed
 tantum selectiores, ita tamen, ut memorentur
 quandoque libri, qui speciosum Titulum fe-
 runt, nullius vero sunt momenti, ne Titulis
 decipiamus. Ad plerosque libros ubi opus
 erat, adnotauimus indicem dispositionis atque
 autorum, ut eo melius hic labor vsui esse pos-
 sit. Quod si curæ nostræ non ingratae e-
 runt, non solum præcepta nostra generalia ex-
 ponemus, sed etiam reliquas disciplinas eadem
 methodo rei litterariæ trademus. Quod ut
 proficuum esse velit summum Numen, maxi-
 me optamus.